

RECTOR  
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS  
JUSTA FUNEBRIA  
DOMINO  
CHRISTOPHORO  
PFAUTZIO

MATHEMATIUM PROFESSORI PU-  
BLICO ORDINARIO, ACADEMIÆ DECEM-  
VIRO, COLLEGII MAJORIS PRINCIPUM COL-  
LEGIATO, NATIONIS BAVARICÆ ET FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ SENIORI, COLLEGÆ NOSTRO  
ÆSTIMATISSIMO

HORA III. HODIE VI. AUG. CL lcc XI.

DECENTER EXSOLVENDA  
INDICIT.

Biogr. erud.  
D. 222,48.

Vitt. Erud. fmg - Vol. 0-9



Lato, qui inter Philosophos habitus est Divinus, qua-  
renti, quid ageret DEUS, respondit γεωμετρῶν Ἰωάννης,  
exercere Geometriam DEUM : quod dictum Petrus  
Gassendus, Regius Parisiis Matheseos Professor, Oratio-  
ne inaugurali, habita in Regio Collegio an. 1645. die  
Novembris 23, scite explicavit. Nimurum DEUS non  
incongrue intelligi potest exercere Geometriam tam  
dum contemplatur, ac potissimum seipsum considerat,  
quam dum agit, maxime vero Mundum creat ac mo-  
deratur. DEUS in seipsum adtendens contemplatur primum naturam suam, ac  
deinde Triadem sacram Hypostaseon seu Personarum. Dum suam speculatur na-  
turam, habet ipsam quasi sphærā, cuius veluti centrum eadem natura est, ex quo  
divinæ perfectiones quasi radii quidam dimanant; quatenus istæ perfectiones sunt  
ipsi quasi circumferentia, qua veluti circumscribatur, seu quo potest modo definiri,  
discernatur ab omni re, quæ non est DEUS. Ne tamen propterea veram aliquam  
limitationem imaginem, nusquam extare hujusmodi circumferentiam dicimus,  
innuentes nullam perfectionum Divinarum esse extremum. Quo modo ne vox  
centri quoque limitatum quid suggerat, ideo ipsum dicimus esse ubique, significan-  
tes naturam divinam in omnibus, & cum omnibus perfectionibus idem esse, utpote  
quæ fons simul inexhaustus, & Oceanus interminatus est. Jam in Sacra Hyposta-  
seon Personarumque Trinitate, qua ratione dici posuit DEUM contemplando  
αἱ γεωμετρῶν, æternam quandam, ac ipsam quidem supereminēt, superexcellen-  
tem, nulli comparandam exercere Geometriam, ut speculetur Gassendus, malumus  
ob sublimitatem mysterii omittere, quam cogitationibus, quæ alios facile offendant,  
indulgere. Progredimur potius ad Activam Partem, respectu nempe hujus mundi,  
cujus DEUS Author Moderatorque est. Quod Philosophia hic dicit exercere  
Geometriam Deum, id Author Libri Sapientiae significat scribens, omnia eum facere  
in Numero, Pondere & Mensura. Nam uti DEUS intelligibilis sphera est, sic sphæræ  
corporæ ideam, qua esse formosior figura non posset concepit, ac ipsam expressit in  
opere globosum faciens mundum, ut paribus a medio radiis ejus extremum attinge-  
retur. Ipsa corpora mundana spectamus mole maxima, contextu integerrima, cohæ-  
sione congruentissima, figurazione speciosissima, positio ne decentissima, mutua habi-  
tudine ordinatisima, motione quieteve durabilissima, si ne ac destinatione appositissi-  
ma. Deus legitur appendisse tribus digitis molem Terræ, & montes in pondere, col-  
les in statera librâsse (Jes. XL.) appendisse aquas in mensura, posuisse legem plu-  
viis, fecisse ventis pondus, & similia (Jobi XXVIII.) In iis, quae solent imperfecte  
Mista censi, Arcum Deus aperte recepit se positurum in nubibus, quasi non fo-  
ret Geometra aliis, qui circino ullo tam perfectum describeret, & Pictore adhi-  
bito, tanta colorum varietate, mistura, suavitate, vividitate, pulchritudine exorna-  
ret. (Genes. IX. Sirac. XLIII) Flocculi nivei, quos DEUS in terram sicut lanam dat  
(Pf. CXLVII) non carent Divina quadam Geometria. Non carent Sales, & Lapi-  
des varie figurati: Magnes suo Axe, suo centro, suis Polis, suo Aequatore, suis pa-  
rallelis, suis Meridianis aemulatur Geometricam structuram mundi. In plantis  
ex Geometrica seminea vi, quam Deus initio impressit, sunt distinctæ illæ, ut se-  
cundum totas, sic secundum partes plantarum figuræ mirabiliter variae. In ani-  
malibus semineaque illorum vi luculentior adhuc est Geometria, præ qua tota  
nostra Mechanice nihil prorsus habenda est. Quæ omnia copiosius deducta a  
Gassendo, ut demonstrant, quam utilis, quam jucunda, quam necessaria sit scientia Ma-  
theseos, ita si quis nos interroget, quis fuerit Da. CHRISTOPHORUS PFAUT-  
ZIUS,

ZIUS, dicamusque & ipsum tenuisse, & aliis ostendisse, *τὸν γεωμετρεῖν*, paucis verbis, quae dignitatem & laudem ejus complectuntur, elocutos nos esse existimabimus. In lucem prodiit Noster An. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>CXLV. die Octobr. XI Lippenii oppido Ulmensis Reipublicae ad ripas Danubii, ubi Pater Dn. Christophorus Pfauzius Praecep<sup>o</sup> Verbi Divini erat, conjugem habens Barbaram Heilbrunneriam. Pater materque ad cives Ulmenses, integerrimos vitæ, subselliique non plane infimi genus suum retulerunt. Vocatus Pater Augustam Vindelicorum, ut Pastoris Ecclesiae Evangelicae munus gereret, in qua deinde Senior Maxime Reverendi Ministerii beate defunctus est anno aetatis 72, Filium hunc suum quinquennem adduxit, & in Schola ad S. Annæ templum Brosseri & Sartorii fidei commisit. Ex hac anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>CLVII. mense Julio in Collegium Alumnorum Reipubl. indultu Administratorum translatus est. Erat tunc Ephorus M. Joh. Daniel Arcularius, cuius Avus in eunte seculo superiore inter Theologos Giessenses non minimi nominis fuit. Sub hoc Ephoro triennium exigens in eloquentiae, poeseos, græcæ linguae, historia universalis mentem Studiis Academicis praeparavit, ut quindecim annorum juvenis, Parentis, Patronorum, Praeceptorumque sententia bene instructus esset. Ingressus itaque Academiam nostram an. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>CLX initio omne fere studium excolendae Philosophiae impedit. Quo fine informationi cum publicae tum privatae L. Schwenckii se dedit, & Professoribus Rappolto, Franckensteinio, Thomasio, Alberti suas disciplinas publice legentibus copiam sui diligenter fecit. Addidit privatas institutiones historiarum & totius Philosophiae M. Cnorrii, Physicas, Metaphysicas, Pneumaticas M. Christoph. Crahe, Morales M. Benedicti Hopferi, deinde Tbingensium Professoris, atque M. Joh. Caroli Neuschelleri, quem maxime sibi favisse semper praedicavit. Cum vero in animo haberet aliquando ex suggestu Ecclesiastico verbum Dei docere, vel in scholis sacras literas interpretari, primo in hebraica Rabbinicaque litteratura, præente D. Joh. Adamo Scherzero se exercuit: deinde per aliquot annos eidem adhæsit Theologiam tum Theticam tum Polemicam docenti. Hanc juvenis diligentiam honor subinde excitavit. Primam Philosophiæ Lauream an. 61. unius anni Studiosus accepit: an. 64 Praeceptorum omnium suffragio & fausta acclamatione Magistri dignitatem consecutus est. Cui ut parem se exhiberet, vergente eodem anno, de Huxu languinis e corpore occisi ad praesentiam occisoris disputavit: Anno sequente Facultas Philosophica potestatem disputandi priori vice ad Locum in ea obtinendum, facile annuit, indeque sub initium anni 66 de Elementis in genere Disputationem habuit. Iam sexennis Studiosus a Patre Augustam revocabatur, ut Argentoratum se conferret, ibique scopo suo studia Theologia propius admoveret. Discedebat ex Academia valledicens Amicis & Praeceptoribus, spem nullam aut exiguum de reditu ad nos secum auferens. Sed ecce Augustae adhuc commoranti Amicorum literæ nunciant M. Neuschellerum Professorem recentem Organi Aristotelei immaturis fatis concessisse, suoque obitu locum in Natione Bavaria apud Facultatem Philosophicam vacuum alii fecisse. Quare commendatis viis suis DEO an. 67 reversus est. Hinc Facultate Philosophica concedente ex Mathesi de Parallaxibus an. 68 pro loco iterum disputavit, eundemque proximo anno obtinuit. Tum quod officium est Assessorum egregie explevit, juventutem Studiorum domestica institutione in omni disciplinarum genere erudit, imprimis in Mathematicis scientiis, quibus a reditu erat deditissimus. Extulit quoque hanc suam diligentiam in oculos totius Academiae, cum an. 74 Eclipsin Terræ ex fundamentis Arithmeticis & Geometricis laboriosa exercitatione deduceret, & in cathedra defenderet. Non diu post Serenissimus Elector dignum habuit præ caeteris, quem imbecillae & desperatae valetudinis Professori Mathematum M. Johanni Kuhnio adjutorem, & post obitum ejus an. 1676. successorem constitueret: in cuius locum etiam Collegiati Majoris Principum Collegii receperunt. Anno 1691 post mortem L. Joachimi Felleri Bibliothecæ Paulinae curam ei Academia commisit. Rectoratum Academiæ undecies, nullo alio exemplo, Decanatum Philosophicum octies, Pro cancellariatum quater administravit. Decemvir an. 1700 factus, Præpositi Collegii Paulini ac Inspectoris Oeconomia, quoties ordo posceret, munere functus est, nec non redditus ex praefectura villarum Academicarum curavit. Quos magistratus officiave tam nominata, quam alia ex iis derivata, uti sunt Praepositura Collegii Major. Princip. & Magna villarum veterum, ita gesit, ut decus & utilitatem Academiæ semper,

(1669)

per haberet ante oculos, & eo omnes consiliorum rationes, quas experientia diuturna subministrabat optimas, dirigeret. Primi conjugii haec fuit occasio. Domino L. Ottoni Menckenio Moralium Professori Publico, qui commercium literarum ad Acta Eruditorum conficienda necessarium, instituendi causa, permittente Serenissimo Electore iter in Belgiam & Angliam inibat, se comitem junxit. Ex quo reduces, dum apud nos graftabatur pestis, Oldenburgi apud Dn. Johan. Menckenum, Patrem, Senatus Seniorem & Mercatorem remanserunt. Tum noster, elegantissimam Virginem, Catharinam, filiam Hospitis, sororem comitis, amare coepit, atque modeste petere conjugem. Volente Virgine, annuente Patre, cognatisque applaudentibus sociam thori accepit solenni ritu d. 2. Junii an. 1681. Quam reversus una cum Affine secum ad nos adduxit: & posthac indefessus adiutor ei in Actis conscribendis extitit. In quibus multae ab eo factae relationes & accurata judicia extant, quæ ingeniosissimis Mathematicis, Dn. Consiliario intimo Leibnizio, & Bernoulli aliisque perplacuere, ut mutuis literis dignum haberent. Ex Conjuge sua habuit liberos sex: quatuor filios, tres nomine Johannis Christophori vocatos, & Ottomem Valentimum, & filias duas, Annam Sophiam, & Mariam Magdalenam: quinque paucis a nativitate diebus ex vita rursum exierunt: superest tertius natu filius, Dn. Johan. Christophorus, Philosoph. Magister, & Medicinae Baccalaureus, cuius studia DEI bonitas ad felicem exitum perducat, Conjugum viginti duorum annorum mors solvit an. 1703 d. 4. Maji ablata suavissima Conju-  
ge. Finitis duobus annis viduitatis suae solatum quaesivit, invenit, & sibi associavit an. 1705 florentissimam virtutibus Virginem Annam Elisabetham, Dn. D. Joh. Olearii, Prof. Theologi Publici, Canonici Cicensis, Alumnorum Electoralium Ephori, Facultatis Theologicæ, Nationis Saxonicae, totius Academiæ Senioris filiam. Hæc mater facta est unius filiæ Christianæ Elisabethæ, & duorum filiorum: sed filia, & posterior filius Christianus Gottlieb paucos dies vixerunt, prior filius jam mortuus ex utero materno egressus est. Coeterum de vita beati viri exponere opus non est. Nam, quem pietas, probitas, candor ejus, quem Collegis suis inserviendi studium, quem pauperibus liberaliter subveniendi promptitudo fugit? Fuit ab aliquot annis infirma dubiaque valerudine, morbis subinde infesta. Die 20 Julii nuperi dysenteria maligna laborare coepit, non solum in pri- mordiis suis vehementi, sed etiam sequentibus diebus ita perseverante. Super- venit mox febris continua cum purpura rubra & alba, cum pulsu cordis & arteriarum intermittente, retrocessu arthritidis & singultu frequenti. Quibus malis plurimis cum medicamenta resistere non valerent, viresque corporis omnes abs- cederent, mente firmus serio se praeparavit ad abitum. Ante omnia Confessio- narium suum Dn. D. Dornfeldum advocandum curavit; a quo facta exomologesi sacro viatico instrueretur: Quo in negotio plura devotissimæ pietatis documen- ta præbuit. Tandem inter sanctas preces adstantium d. 2. Augusti hora dimidia se- cunda matutina beate vita excessit anno ætatis LXV. Aristippus Socratus naufra- gio in Insulam Rhodum ejectus, cum in litore figuras Mathematicas conspicatus esset in arena, socios infortunii allocutus fertur: Bonis estote animis: Sumus in terra, in qua homines, qui artes liberales amant & exercent. Beatus PFAUTZIUS Mathematicus noster, exturbulenta vita hac in terra viventium appulit, in qua ho- mines non speculantur figuras Mathematicas, sed DEI naturam & perfectiones, Triademque sanctam exactissime intuentur: quod est, si fas ita loqui, cælestis bea- torum γεώμετρος. Quæ restant justa funebria hodie ad horam III Collegæ nostro æstimatisimo persolvemus. Facietis cives Academici, rem dignam vestra pietate, dignam humanitate, dignam honoratissima familia, cum frequenti comitatu ea cohonestaveritis. P. P. die 6. Augusti Anno  
Christiano clc lccxi.

LIPSIAE,  
LITERIS GOEZIANIS.